

cos. Fuit insuper Theodorus Cyrenaicus, qui omnes de Deo opiniones sustulit, referunt Laertius in Aristippo, & Cicero laudato loco. Protagoras insuper Abderita, scribunt Laertius in Protagora, Cicero loco etiam citato, & Theodoretus lib. 2. de principiis, quod sine rubore dixerit: *De Diis statuere nequeo, neque an sint, nec ne: Sunt enim plurima, quæ id scire prohibeant; ut summa rei incertitudo, & brevis hominis vita.* His adnumerantur a D. Cardinali de Aguirre t. 1. theologiae S. Anselmi trac. 2. disp. 12. sect. 1. num. 10. Prodicus Ceus, Euhemerus Thegeates, Critias, & Epicurus. Insuper Euripides, juxta Eusebium lib. 14. de præparat. evangel. c. 6., Bion Boristhenites, discipulus Theodori, apud Laertium lib. 4., & Acrotheitæ illi subnectuntur, seu Thoes, quos ex Theophrasto refert Porphyrius 2. de abstinentia, & Simplicius subscribit in cap. 38. Enchiridii Epicteti. Adjunguntur a Dominico a SS. Trinitate Bibliothecæ Theologicæ t. 5. p. 1. lib. 4. sect. 3. c. 2. Diogenes Phrygius, Hyppo, alique ex Aliano lib. 2. var. histor. c. 31. Et hi quidem omnes fuerunt Græci.

Verum de Epicuro, si vera sunt, quæ de eo scripsit Plutarchus, lib. 1. de placitis Philosophorum, aliter dicendum est. Non enim Deos esse negavit, sed docuit tantum, omnes Deos humana specie præditos, nec curare res humanas. Accedit Ciceronis testimonium in lib. 1. de natura Deorum, cujus verba hæc sunt: *Quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum, quam appellat *τὸ πρὸν* Epicurus, id est, anteceptam animo quandam informationem, &c.* Utitur profecto Tullius Epicuri sententia, ut Deorum existentiam prober adversus Atheos; immerito igitur inter Atheos adnumeratur Epicurus. P. Antonius Boucat, Ordinis nostri nuperus eruditus ac subtilis in Theologia Scriptor, hæc de Epicuro inquit: *Quantum Epicurus in sua Physica Deum agnoscere videatur, verius dicam, simulet; non tamen ut creatorem; cum mundum esse a semetipso affirmet; hinc & ejus existentiam suo systemate impugnat.* Ita Boucat in Theologia Patrum trac. 1. dissert. 1. ar. 6. sect. 2. concl. 3. pag. 56. Attamen hac ratione etiam dicimus, Aristotelem negasse Deum, ejusque existentiam improbasse, adeoque inter Atheos esse adnumerandum. Quemadmodum enim ex Epicuri principiis deducit Boucat, pariter alii inferunt ex Aristotelis sententiis. Verum hæc non est aperte ne-

gare, Deum esse, quod in veris Atheis invenitur. Et hæc vel ex ipso Lactantio plenius constant, qui de ira Dei c. 9. de Epicuro scripsit; *cum providentiam sustulit, etiam Deum negavit.* Non igitur aperte inficiatus est, Deum esse; sed, quum voluerit Deum esse, & providum non esse, Deum sibi finxit, qui vere Deus non erat; & hoc de Aristotele pariter, immo de cunctis, qui verum Deum non agnoverunt, dicere non immerito quisque potest.

Post Atheos Græcos ad Latinos deveniamus.

Plinius, historica laude celebris, primo loco adsignatur, qui lib. 2. c. 7. in dubio posuit, an Numen sit aliquid, & quicquid sit, esse ridiculum, quod illud gerat curam rerum humanarum. Adnumerant pariter Lucianum Aguirre laudatus cit. loc., & Mortier in etymologia sacra, verb. Atheus. Hic profecto Lucianus Numinum cunctorum fuit irrisor; ac proinde, in deterrimæ impietatis poenam, recte Suida, a canibus disceptus, miserime periit. Addit Dominicus a SS. Trinitate tom. 5. Theologicæ Bibliothecæ p. 1. lib. 4. sect. 3. c. 2. Lucretium, in testem advocans Præcolum, verb. Athei; & Seliū quendam, cujus meminit Martialis; *nullos esse Deos, inane Cælum, affirmat Selius.*

Post hos, posteriorum temporum alios quosdam, Atheismi insimulatos a Scriptoribus, invenimus. Machiavellum scilicet, cum Sæctatoribus suis, quibus Lessius de Providentia c. 2. familiare fuisse scribit, *credi Deum ex usu vitæ esse.* Quod quidem, Aguirre testatur, Aristotelem lib. 12. metaph. tex. 50. de fabulosis Ethnicorum de Deo opinionibus, & Senecam lib. 2. natural. quaest. c. 42. de Jove armato, dixisse. Idem de Machiavello asserit Frassen trac. 1. disp. 1. ar. 1. quæst. 3. Apelles etiam hæreticus, qui Deum, quem adorabat, se non agnoscere, effutiebatur, inter Atheos ponitur a Raymundo Pozzio; quod Mortier cit. loc. scribit. Hennius in Theologia dogmatica, &c. trac. de Deo uno disp. 1. qu. 2. idem ait de Andrea Aretino in Italia, de Lucio Vanino in Gallia, de Spinosa in Hollandia. Verum de his in sequentibus Dissertationibus erit sermo. Quidam alii nuperis temporibus de Deo dubitantes a Cardinali Hosio ep. 109. inter eosdem adscribuntur. Insuper Maldonatus in c. 26. Matth. v. 26. meminit cujusdam perditii hominis, qui ex Calviniano factus Atheus, *scripsit librum de arte nihil credendi, in quo illud unum verissime diceret, oportere prius Calvinistam fieri, qui Atheus esse vellet.*